

Finichen  
De püisco  
Lanolen

1734





49

9

GOTTLOB AVGVSTI IENICHEN  
PHIL. ET VTRIVSQVE IVRIS DOCTORIS  
DE  
PRISCO IAUOLENO  
ICTO INCOMPARABILI  
ET  
PRAECIPVO SAECVLI SVI ORNAMENTO  
DISSERTATIO



---

LIPSIÆ  
APVD IO. CHRISTIANVM LANGENHEMIVM.  
CIO DCCC XXXIII.



GOTTLOB AUGUSTI REINHOLDI  
PHIL. ET JURIS DOCTORIS  
DE  
FRISCO LAUOLENO

*II. Constantius Landus Praeternissorum libro.*

Qui legent hosce libros mature censunto:

Profanum uolguſ et inscium ne attrectato:

Omneisque Leguleii, blenni, rabulae, et barbari procul  
funtio.

Qui aliter faxit, is rite sacer esto.



LIBRARI  
VERDIO CHRISTIANVM LANGENHEIMVM  
MDCCLXXXIII





Uam bene ageretur nobiscum, si  
ICTi, qui in elegantioribus literis  
vltra uulgus sapiunt, OTTO-  
NIS, (a) BRENCMANNI, (b)  
ECKII, (c) GVNDLINGII, (d)  
REINOLDI, (e) HEINECCII, (f)  
vt ceteros silentio praetereamus,  
imitarentur industriam, et in ue-  
terum ICTorum, quos Roma in summis deliciis habuit,  
et ad praecipuas in republica dignitates prouexit, uitam,

A 2

res

- (a) Debemus Cl. *Otoni Papinianum*, siue de uita, studiis, scriptis, moribus et morte *Aemilii Papiniani* commentarium, Lugduni Bataurorum 1718. in forma oclies complicata typis excusum. Meritus quoque est elegantissimi uir ingenii de ceteris Romanorum ICTis, et in praefatione Tomo Imo. *Thesauri Iuris Romani* praemissa protulit per plurimas obseruationes, quae apprimè faciunt ad illustrandam antiquorum ICTorum historiam.
- (b) *Uitam Alfeni Uari* terso nitidoque stylo composuit, et *Conspectui Pandectarum* Amstelodami 1709. edito adiecit *Brencmannus*, uir omni elogio dignus. Eiusdem ICTi uitam a *Cel. Ottone* promissam auide et fere impatienter praestolamur.
- (c) *Cornelius uan Eck*, ICTus insigniter doctus, *Laboonis* et *Capitani* uitam singulari oratione exposuit, eandemque postea *Vltraiecti* 1692. prelo commisit.
- (d) *Gundlingius*, immortalis ICTus nominis, *Trebatium Testam* singulari commentario ab iniuriis ueterum et recentium uindicauit, qui *Halae* anno incerto prodiit.
- (e) Is de *S. Pomponio* orationem *Herbornae* 1710. recitauit.
- (f) Vti praecleara et paene incredibilia Ill. *Heineccii* in iurisprudentiam uniuersam merita sunt, ita singillatim piam Romanis ICTis

res gestas, librosque accurate diligenterque inquirerent, singularibusque dissertationibus vniuscuiusque Icti uitam persequerentur. Ea enim, quae RUTILIVS, BERTRANDVS, GROTIVS, PANCIROLVS, GRAUINA, (g) et reliqui ad illorum historiam adtulerunt, adeo incerta, dubia, et plerumque falsa sunt, vt infinitas tenebras offuderint exquisitissimorum uirorum historiae, et non spicilegium nobis reliquerint, sed integram locupletemque messem. Tandem aliquando desisterent ignaui atque somnolenti homines tam importunis cauillationibus traducere uiros sapientissimos; tandem compescerent uocem inuidiae maluolentiaeque plenam; neque quamuis contumeliam, nemine refragante, in eosdem im-

mit-

nauit operam. Etenim praeter elaboratissima de *Vlpiani Hebraisnis*, et *Saturnini* programmata, uitam *Iuuentii Celsi* Francofurti 1727. edidit; uitam *C. Aquilii Galli* elegantissima oratione exposuit, et a. 1731. Francofurti in dias luminis auras exire passus est; denique uitam *Saluii Iuliani* Halae. a. 1733. cum orbe literato communicauit.

(g) Plures hostes expertus est *Grauina*, sed neminem quemquam, qui falsiori acerbiorique censura eum impetiit, praeter *Iosephum Aurelium de Ianuario*, qui in festina republica Ictorum, cura Conf. *Menckenii* Lipsiae a. 1733. recusa, saepe inuehitur in illum, ipsi uel inconsiderantiam quamdam p. m. 100. et 101. exprobrat, uel plagii literarii eum accusat, omniaque ex operibus *Iacobi Gothofredi* surripuisse testatur. u. l. c. p. m. 321. Acutum quoque est eruditissimi uiri *Gregorii, Maiansii* generosi et Icti *Ualentini de Grauina* iudicium, quod in aureo elegantissimarum epistolarum opere L. V. Ep. V. p. m. 289. profert: *Solidissima est huius uiri doctrina, eruditio minime uulgaris, iudicium rectum, politissimus stylus. Sed si ab hac cornicula Ant. Augustinus, Iacobus Gothofredus, et praeterea duo, tresue alii suas plumas repetant, omnino nuda manebit: eruditio certe mouebit risum.*

mitterent. Atque si cuius manibus vniquam inmitte atque truculentum fatum accidit, certe is est PRISCVS IAUOLENVS, ICTus sua aetate sine controuersia doctissimus, de quo non solum nemo quisquam ex instituto exposuit, uerum etiam quem iniqua vnius PLINII accusatione ducti, inter emotae mentis homines nimis temere retulerunt non semi docti et patellarii magistri, sed ipsi selectissimi et supremae caeuae ICTi. Age, satisfaciamus promissis nostris, (h) eiiciamus tam anilem fabulam ex historia Iuris, abstergamus tam immeritam labem a ICTo prudentissimo, pristinae eundem integritati restituamus, manibusque eius nostro qualicumque parentemus elogio.

## §. I.

**Q**uo loco primum spiritum exceperit IAUOLE-<sup>Patria Iauolenti.</sup>  
NVS, ignorare nos patiuntur antiqua monimenta. Impudens profecto est FRANCISCI HOTTOMANNI, (i) horribilis illius erga TRIBONIANVM carminis praeconis, mendacium, quo IAUOLENVM inter Graecos et peregrinos homines re-

A3

fert,

- (h) Promissus *Iauolenti* uindicias in Actis Academicis Sect. IX. p. 264.  
(i) in *Anti Triboniano* Cap. 12. ubi in hunc modum pronunciat: *Priscorum ergo scriptorum loco TRIBONIANVS nobis tradidit libros et tractatus horum peregrinorum, qui e distitis prouinciis Romam uenerant, ut linguam latinam et denuin iurisprudentiam addiscerent, quique a dignitate ueterum tam longe aberant, quantum aduena nouitius a uero nobili, negotiis patriae suae inuitro, atque in iis exercitato. Hoc numero audiui quandoque censeri AFRICANVM, TRYPHONINVM, MODESTINVM, IAUOLENVM, et his similes, qui honoratos istos et eximios ICTos ueteres tam ambitiose reprehendere et carpere conati sunt.*

fert, et natales eius ex Graecia, infano contradicendi spiritu abreptus, repetit. Neque subscribere possumus ingeniosae CLAVDII SALMASII (k) coniecturae, qua *Iabolenus* pro *Zabolenus*, vtrumque pro *Diabolenus* legit. Quae si uera esset uiri summi coniectura, facile in hanc ego concederem sententiam, ex Africa aut Graecia duxisse originem ICTum nostrum. Uerum quum, uti postea docebimus pluribus, mendosa mutilaque sit codicis, cui tantam fidem habuit SALMASIVS, lectio, in ipsa Italia hoc decus, hoc ornamentum productum fuisse, confidenter decerno, cuius rei, si alia deessent argumenta, natiua latini sermonis, qua eius scripta se efferunt, pulchritudo haud uulgare testimonium praebet.

## §. II.

*Maiores  
Iauoleni.*

De maioribus IAUOLENI nulla apud antiquos scriptores mentio est. Neque enim PRISCOS illos, quos uel leges, (l) uel ueteres auctores (m) commemorant, uel

(k) Adscribam ipsa SALMASII uerba. Reperiuntur illa in notis in *Iulii Capitolini Antoninum Pium* p. 72. ed. Paris. de a. 1620. Huius nominis IABOLENVS ueriloquium uidi, qui quaerent, et nescio unde rationem eius peterent; mihi non dubium, quin IABOLENVS sit pro ZABOLENVS, ut iugum, ζυγόν et *Ionarius* pro *Zonarius* apud *Nonium*. vtrumque autem pro DIABOLENVS, quomodo scriptum hoc loco reperi in optimo codice Palatinae Bibliothecae Διαβολης, inde Διαβολωνος: deinde Zabolenus, et Iabolenus: ut Dieta, Zeta, Diarritum, Zarritum: et διασφα, ζωσφα, vel ζεσφα. cetera. confer et Addenda p. 516. et quae *Caspar Barthius* ad Phoebadii C. I. et XLIV. in notis p. 48. monet, ubi Zabolicus Diabolicum sonare scribit, et Paulini ad Cytherium locum excitat: Quibus peremtis interit quoque Zabulus. Inuisus aeternum Deo.

*Prisci ueteres re-  
censentur.*

(l) Est inter ueteres ICTos celebris.

1) *Priscus Fulcinius*, quem aliquanto post *Tiberii* Imp. tempora nominis celebritatem consequutum fuisse adfirmat *Grotius* in



uel marmora ostendunt,(n) cum IAUOLENO vilo agnatio-

Uitis ICTorum L. II. C. V. §. 5. et quem *Pomponius, Caius, Vlpianus, Paulus* saepe in libris suis citant.

- 2) *Flavius Priscus*, cuius mentionem iniicit *Pomponius* in l. 2. de Orig. Iur. §. 44.
- 3) *Neratius Priscus*, quem in tanto amore habuit *Traianus Imp.* vt imperii successorem ipsum relinquere uellet, nisi *Plotinae* artes tam lautam opimamque praedam ipsi eripuissent. *Spartianus* in uita *Adriani* C. IV. ICTi posteriores ad vnum fere omnes frequenter ipsi in legibus testimonium denunciant.
- 4) *Priscus*, qui sub Antonini Caracallae imperio a. 170. consul cum Apollinare fuit, occurrit in subscript. leg. 2. C. de nec. seru. haered. inst.
- 5) Occurrit *Priscus* consul cum Dextro a. 194. in subscriptione l. 1. C. vbi de crim. agi oporteat. Idem cum Dextro consultatum gessit a. 197. vt patet ex subscriptione l. 1. C. de neg. gest. l. 1. C. de prob. l. 2. de inoff. test. l. 1. an. seru. pro suo facto post manumiss. l. 1. et 2. quod cum eo, qui in alien. potest. est l. 1. de Edict. D. Adriani l. 3 vt in poss. legat vel fideic.
- 6) *A. Priscus*, ad quem *Gordianus* rescriptit l. 14. C. de inoff. test.
- 7) *Priscus*, procurator *Caesaris*, memoratur in l. 21. de auct. et conf. tutor.

Praeter hos in legibus adhuc inueniuntur.

- 8) *Aelius Priscus* furiosus, qui matrem occiderat, de cuius poena ad *Scapulam Tertyllum* rescribunt *Diuus Marcus* et *Commodus* l. 14. de off. Praef.
- 9) *Priscus*, quem ob homicidium et incendium in insulam deportari iusserunt Diui fratres l. 6. §. 2. de Interdictis.
- (m) Principem inter *Priscos*, quorum a ueteribus auctoribus nomina recitantur, locum meretur.
  - 1) *Tarquinius Priscus* IV. Romanorum rex, de quo in primis consulendus est *Dionysius Halycarnassensis* L. III. in eunte.
  - 2) *Priscus* ad quem plures epistolas scripsit *Plinius*, quem ego *Neratium Priscum* ICTum fuisse, si quid coniectura ualeo, suspicor. Extant ad eum L. II. epistola XIII. L. VI. ep. VIII. *Prisci* huius honorificam mentionem quoque facit *Plinius* L. VII. ep. VII. VIII. et XIX. Occurrit.
  - 3) *Cornelius Priscus* apud *Plinium* III. 21.

tionis uinculo coniunctos fuisse, in tantis ueteris memoriae tenebris adfirmare ausim.

## §. III.

- 4) *C. Lutorius Priscus* apud *Tacitum* Annal. L. III. c. 51.  
 5) *Lucius Priscus*, *Philippi* Senioris frater, et Macedonicis legionibus Praefectus, inmani saeuitia nobilis. Post cruentam fratris mortem A. 249. Imperator eligitur. Sed a Senatu patriae hostis iudicatus, non ita multo post uiolenta morte periit. Nullos de eo extare numos contra *Dacieriam*, feminam sagacissimam, eicit Ill. *Spanhemius* T. II. Diff. XI. p. 254.  
 6) *Priscus* Philosophus, cum quo, teste *Ammiano Marcellino* L. XXV. c. 3. et *Maximo Iuliano* Imperator paulo ante suum ex hac uita excessum de animarum sublimitate perplexius disputauit.  
 7) *Panites Priscus*, Sophista, qui quinto post *Christum* natum saeculo *Theodosii* iunioris aeno uixit, et praeter epistolas, declarationesque, historiam Constantinopolitanam luci publicae commisit. Frequens eius est apud scriptores mentio. *Euagr.* l. 5. c. vlt. *Iordanes* de reb. Goth. c. 24. 35. 42.  
 (n) Sic decem *Priscos* ex antiquitate adducit *Gruterus* in aeterno inscriptionum opere  
 1) *Priscum Lauinium Caluum* CCXXV. 2.  
 2) *Longinum Priscum Caluum* ib.  
 3) *Priscum*, Praetorem, CCCXVIII. 7.  
 4) *Sextum Priscum Flauium Caluistum* DXVI. 5.  
 5) *Priscum Caesonium* DCCXXXII. 9.  
 6) *Priscum Blionis Carei* DCCCCXIX. 8.  
 7) *Priscum Crispinum Secundum* DCCCCXIX. 9.  
 8) *Priscum Sextum* DCCCCXIX. 10.  
 9) *Priscum, Iusti* filium DCCCLI. 5.  
 10) *Luctum Priscum* DCCCCXLI. 1.  
 Addimus duos adhuc *Priscos*, quorum notitiam debemus *Doctissimo Raymundo Duellio*.  
 11) *Priscum Rufum*, cuius memoriam seruat *Lapis XI* in *Vngaria* inuentus apud *Duellium* in *Diff. de uariis*, iisque potissimum selectis, ad elegantiores literas pertinent. rebus p. 18.  
 12) *Priscum*, cuius meminit *lapis XV* in *Vngaria* inuentus apud eundem *Duellium* p. 20.

## §. III.

Nomen ac cognomen Nostri certissimum est. Semper eum ueteres PRISCVM IAUOLENVN (o) uocant. Neque nos magnopere commouere debet illa IAUOLENI scriptio, qua IABOLENVN ex eo effingunt. B enim pro U uel, ut placet FVLUIO VRSI-NO, (p) antiquam scribendi rationem ueterum Grammaticorum indicat; uel illa scriptio, quemadmodum docte obseruauit BARNABAS BRISSONIVS, (q) ex arctissima, quae inter literas B et U olim exitit, cognatione natales suos repetit; uel, si IO. THEOPHILVM HEINECCIUM (r) audimus, ea literarum permutatione nihil fuit medio aeuo frequentius. In ea enim, pergit HEINECCIUS, tantum sibi indulserunt librarii et lapicidae semigraeculi, ut non magis mirandi uideantur Iubentii, quam Balerii, Bari, Bibiani, Birginii, Bictorini, Bincentii, Libii, Seberi, et sexcenta huius generis, quae in priscis montis utramque paginam faciunt.

*Antiqua  
scribendi  
ratio Ia-  
bolenus  
pro Iauole-  
nus.*

## §. IV.

A primis temporibus aetatis in literarum studiis se strenue uehementerque exercuit, et uiuidam excitatiorem indolem SERUII SVLPITII, AVLI CASCELLII et C. TRE-  
*In literis  
elegantioribus se  
bene uehementer  
que exer-  
cet.*

(o) Plures Iauoleni occurrunt in antiquis marmoribus. Iauoleni, Augusti liberti, meminit Gruterus XLVIII. 9. Apud eundem reperies C. Iauolenum Modestum LIII. 15. et L. Iauolenum Phoebi DCCXC. 1. Mulieres quoque Iauolenaenae nomen habuerunt. Testis huius rei luculentissimus est Thomas Reinesius, qui Iauolenam Primillam ex ueteri inscriptione adducit CL. XIV. 194.

(p) uid. Musaeum Kircherianum ex ed. Io. Philippi Bouanni Romae 1709. p. 102.

(q) Parerg. n. 8.

(r) in Diff. de Iuuentio Celso p. 4.

B

C. TREBATHI TESTAE exemplo, circumtulit per vniuersum scientiarum ambitum, in iisdemque nihil in-expertum, nihil intactum reliquit. Fragmenta certe eius, quae fatorum benignitate nobis in Digestis super-sunt, adeo pura, tersa castigataque Latinitate conscripta sunt, vt LAVRENTIVS UALLA, FRANCISCVS FLORIDVS, et ceteri acerrimi, et paene iurati ICTorum hostes, nimia et scrupulosa sua diligentia nihil inuenerint, quod iure reprehenderent in IAUOLENI fragmen-tis. (s)

## §. V.

(s) Notant quidem constructionem *Iauoleni* in l. 21. de Adqu. poss. vbi gignendi casum pro auferendi casu ponit. *Interdum*, inquit *Iauolenus*, eius rei possessionem, cuius ipsi non habemus, tradere possumus. Sed praeterquam, quod excusari possit hoc modo, cuius, scilicet rei, ipsi non habemus, scilicet possessionem, plura quoque eiusdem loquutionis exempla reperiuntur apud *Iacobum Perizonium* ad Sanct. Mineruam L. IV. c. 12. confer *Carolum Andream Duckerum* (quem, quod obiter obseruo, *Franciscus Dionysius Camusatus Alexandrum* appellat. u. *Gregorij Maiansii* Epistol. L. V. Ep. IV. p. m. 251.) de Latinitate ueterum ICTorum p. 348. Deinde male audit *Iauolenus*, quod *extrarios* haeredes dixerit pro extraneis, qui suis opponuntur l. 36. de bonis libert. sed latinissimum hoc esse uocabulum, aduocato *Terentio*, *Lucretio*, Auctore ad *Heremium*, *Quinctiliano*, *Suetonio* docte probauit *Duckerus* l. c. p. 419. *Extrarii* quoque uocabulo his usus est *Apuleius*. Sic *Apol. p. 300.* inquit *Extrarius arbiter*. Et *Dogm. Plat. 2. p. 19. Bona Extraria*. Inter suspectas uoces latinas refert *Georgius Caspar Kirchmaierus* in Latinitate uel praeter meritum uel merito suspecta e *Pandectis* eruta. C. II. §. 2. uocem *Archi gubernus* a *Iauoleno* in l. 46. ad ScT. *Trebell.* usurpatam. Sed uix est, vt inter hybridas eam reiiciamus, quum hic usus rationem uincit, et pleraque uocabula, quibus dignitatem aut officium hominum designamus, ex coniunctione graeci latinique sermonis orta sunt.

## §. V.

Antiquitatis praeterea fuit scientissimus. Solebant <sup>Antiquitatis per quam studiosus fuit</sup> Romani Vestalibus, templi praefectis et custodibus, tamquam sanctissimis uiris, et ab omni fraude alienissimis, ultimas uoluntatis suae tabulas committere. (t) Ipse IULIVS CAESAR, uti refert SÜETONIUS, (u) supremum eulogium Uirgini Vestali Maxumae commendauit concrediditque. Morem hunc ueterum solemnem in memoriam reuocauit IAUOLENVS, et in hanc sententiam grauius sapienterque respondit: (x) *De tabulis proferendis Interdictum competere non oportet, si haereditatis controuersia ex his pendet, aut si ad publicam quaestionem perinet; ITAQVE IN AEDE SACRA INTERIM DEPONENDAE SVNT, aut apud uirum idoneum.* Quemadmodum uero Noster priscorum institutorum erat tenacissimus; ita quoque, antiquissimo manumittendi ritu per uindictam, seruos suos in Africa et Syria in libertatem uindicauit. (y)

## B 2

## §. VI.

(t) *Dionysius Gothofredus* ad l. 3. §. 3. de tab. exhib. ubi, *Ulpianum* per aedituum templi aedituum intelligere, satis speciose asserit. Afferit in hanc rem non proletaria *Espenius* in iure ecclesiastico uniuersali P. III. T. II. C. II. §. 2. p. 1294. Hinc Vestales erant instabiles, nec quicquam ex aliorum testamentis accipere poterant. *Gellius* Noct. Att. L. I. C. XII.

(u) In uita *Iulii Caesaris* c. 83.

(x) l. 5. de tabulis exhibend.

(y) l. 5. de manumiss. uindicta. uide, quae de hoc prisco per uindictam, id est festucam, alapam et uertiginem manumittendi modo erudite solideque annotarunt Duumiri praeclarissimi, *Antonius Schultingius* in Iurisprud. ueter. Anteuulianea ad Cui Inst. L. I. T. I. §. 1. p. m. 12. et *Euerardus Otto* in commentario ad §. 1. l. de libertum. p. m. 55.

## §. VI.

*Stoicae  
philoso-  
phiae se  
inprimis  
addidit.*

Sed quum sine philosophia, qua nullum maius sacrosanctiusque munus hominum generi a DEO immortali datum est, nemo quisquam amplissimum ueri Icti nomen condigne gerere potest; hinc ad illam addiscendam mature animum appulit, et egregios in eadem progressus fecit. Praecipue Stoicam philosophiam (z) sequutus est, cuius perplura uestigia in monumentis suis reliquit. Dialecticam, cuius insignis in iurisprudencia utilitas est, (a) ad amissum calluit. Sic accurate distinguit, (b) argumento a simili utitur, (c) et uerborum proprietatis religiosissime studiosus est. (d)

## §. VII.

*Iurispru-  
dentiae se  
consecrat,  
sapienti-  
que eam-  
dem colit  
ratione.*

Assiduae huius et numquam intermissae diligentiae fructum cepit uberrimum, quum iurisprudenciae sese consecraret et ad illam humanarum scientiarum principem animum mentemque omnem transferret. Vfus est in tradenda iurisprudencia magistro COELIO SABINO, (e) a cuius schola non prius discedebat, quam in

- (z) Sabinianos ad porticum, non ad Academiam, pertinere praeclare contra *Edmundum Merillium* ostendit Clarissimus Harderwicen- sium Antecessor *Godofredus Mascovius* in Diatriba de Sectis Sabinianorum et Proculianorum C. VI. §. 3. et 4.
- (a) In iurisprudencia Dialectices usum quam maxime sese exserere, decernit *Euerardus Otto* in Papiniano C. VIII. §. 4. p. m. 136. fqq.
- (b) l. 8. de haered. uel act. uend. l. 14. de haer. inst. l. 63. eod. l. 56. de condit. et demonst.
- (c) l. 108. de U.O.
- (d) l. 18. §. 1. de Act. E. U. l. 8. de aur. leg. l. 55. de obl. et Act. l. 83. l. 117. l. 217. l. 236. §. 1. l. 242. de U. S.
- (e) *Pomponius* l. 2. de orig. Iuris §. 47. Praeter historiae iuris, et uitarum Ictorum scriptores *Iauolenum* Sabinianorum sectae ad- dicit *Edmundus Merillius* L. III. uariant. ex *Cuiacio* C. XXXVI. p.

intima iuris penetralia sagacissima mente peruenisset, et summam incredibilemque iusti et aequi scientiam (f) sibi comparasset. Sed non vni SABINO, tamquam glæbae, sese addixerat IAUOLENVS, vt in magistri uerba temere iuraret, uerum excelsi Noster animi mirifica et pertinaci industria ueterum auctorum, (g) quorum scripta iurisprudentiam illustriorem reddiderant, monumenta dies noctesque peruolutabat, et quae proficua, utilia, salutariaque ipsi uidebantur, in usus suos prudenter seponebat. Neque tamen adeo coecus alios sequebatur, vt sententiis eorum mordicitus inhaereret, neque vlla ratione se ab iisdem diuellere pateretur; sed saepe recedebat ab iisdem, si minus probatae falsaeque ipsi uidebantur, et ueritatem omnibus eiusmodi nugis sapienti anteferebat consilio. (h)

B 3

§. VIII.

362. T. II. opp. ed. Neapolitanae. *Franciscus Marstas Gordonius* Praetermiss. Iuris Ciuilis C. XIII. apud *Ottonem* in Thesauro Iuris Romani T. II. p. 872. *Christianus Otto a Boeckelen* de diuersis familiis I. C. C. III. p. m. 30. et *Godofredus Mascouius* l. c. C. II. §. 4. p. m. 48.

(f) Intelligimus heic cum *Emanuele Martino* in epistola ad *Gregor. Maiansum*, Ictum nostra aetate in Hispania principem, quae est L. I. epist. *Maiansii* ep. 4. p. m. 10. illam iurisprudentiam liberalem ac paene diuinam, quae uersatur in erudiendis mortalium animis, ea tantum fini, ut sint legum custodes, et iustitiae uindices. Non hanc fordidam et prostitutam, fucis et fallacis deformem, cuius tricis et inuolucris miseri ciues importunissimis litibus implicantur.

(g) Hinc frequens *Caecilii, Uari, Namusae, Cinnae, Seruii Sulpitii, Trebarii, Tiberonis, Cascellii, Ofilit, Labeonis, Massurii Sabini, Proculi et C. Cassii Longini* in monumentis *Iauolenti*, quae ad nos peruenerunt, mentio fieri solet.

(h) Sic *Cassio Longino* assentitur in l. 6. de lib. et post. l. 8. de aur. leg. l. 116. de U. S. ab illo dissentit in l. 54. de cond. et demonstr.

*A rabula-  
riis arti-  
bus alie-  
nus est.*

Sic rite praeparatus, et omnibus, quibus Iuriscon-  
sultus esse debet, exornatus praesidiis, non, ut plerique  
nostri homines solent, forensē rabulam egit, nec lucro-  
sa uerborum mundinatione sanctissimam castissimamque  
uirginem iurisprudentiam turpiter foedeque conspurca-  
uit atque prostituit. Execratus enim est, et quidem,  
uti nos opinamur, suo merito, *genus illud uitae*, quemad-  
modum id facete atque argute appellat noster MAIAN-  
SIVS, (i) *irrequietum, rixosum, molestiarum plenum.* Non  
quidem, ut iterum cum MAIANSIO (k) loquar, *cum  
poenitebat fori usum*, quem exactissime accuratissimeque  
tenebat, *callere*, sed *forensis uitae pigebat taedebatque.*  
Quapropter uitam eligebat, non quidem ad numos fa-  
ciundos comparatam, sed tamen innocentia, animi tran-  
quillitate, amoenitate iucunditateque mirifice commen-  
dabilem, et uel ipsis CROESI diuitiis anteponendam.

*Recitatio-  
nes insti-  
tuit.*

Quod  
l. 39. de statu liber. Sic *Trebatium* sequitur in l. 100. § 4. de legat. 3.  
l. 4. de instr. uel instr. leg. l. 40. § 4. et 5. de cond. et dem.  
Illius sententiam improbat in l. 64. de Don. int. U. et V. Sic in  
*Tuberonis* sententiam discedit in l. 7. de trit. uino uel oleo leg.  
Ab illius opinione diuortium facit l. 77. de contrah. E. U. l. 25.  
pr. de instr. uel instr. leg. Sic *Cascellio* suscribit in l. 100. de leg. III.  
l. 7. de trit. uin. uel ol. leg. l. 26. §. 1. de instr. uel instr. leg.  
Eiusdem sententiam damnat in l. 4. de instr. uel instr. leg. Sic  
cum *Ofilio* sentit in l. 39. de uulg. et pupill. subst. l. 40. §. 1. et 4.  
de cond. et dem. l. 27. de capt. et posil. Illius partes deserit  
in l. 25. §. 2. l. 26. §. 2. de instr. uel instr. leg. Quid? quod per  
*Maepae Labeonis* et *Proculi* sententiam amplectitur, certo indubi-  
tatoque testimonio, ueritate nihil prius nihil antiquius ipsi  
fuisse. Sic, ut ex pluribus exemplis tria saltem proferam, *Labeo-  
nis* sententiam aliorum opinioni praefert. l. 57. Loc. Cond. l. 32.  
de pact. dot. l. 90. de furt. Cum *Proculo* facit l. 11. de haered.  
inst. l. 64. de don. int. U. et V. l. 62. de adq. uel. omitt. haer.  
(i) Epist. L. II. Ep. 24. p. m. 103. (k) l. c. p. m. 104.



Quod si enim, TVLLIO (l) teste, semper pulerum in vrbe fuit ius docere, hominumque clarissimorum domi discipulis floruerunt, quid poterat IAUOLENVS magis laude dignum perpetrare, quam ad erudiendam iuuenturem operam, studiumque suum omne conferre. Suscepit igitur, bonis auibus, in fidem disciplinamque suam selectiora quaeuis ingenia, iisdemque uiam monstrauit expeditissimam, quaeuitatis scopulis omnibus, ad augustissimum diuinae Themidos templum, celeriter, auspicato, fortunateque peruenire possent.

## §. IX.

Non inter angustas priuatae scholae regiones sese continebat excellentissima IAUOLENI doctrina, sed la- *In praecceptoris Sabini locum surrogatur.* tius euagabatur, illique luculentissimum pertinacis in docendo industriae proemium reportabat. Posteaquam enim ad plures abiisset COELIVS SABINVS, nemo quisquam in tanta ICTorum oprumorum frequentia dignior inuentus est IAUOLENO, (m) qui in demortui SABINI locum sufficeretur, scholaeque, ueterum omnium longe nobilissimae florentissimaeque, applaudentibus congratulantibusque bonis omnibus, praeficeretur. Atque prodie- *Discipulæ Iauoleni.* runt ex incomparabilis IAUOLENI schola, doctissimi sapientissimique Iurisconsulti, SALUIVS IULIANVS, (n)

ABVR.

(l) in orat. C. XLI.

(m) Pomponius l. 2. de orig. iur. §. vlt.

(n) *Iulianum Iauoleno magistro profecisse, non solum refert Pomponius Obserua- l. 2. de orig. iur. §. vlt. uerum etiam diferte hoc testatur ipse Iulianus riones l. 5. de manum. uind. in qua Iauolenum praecceptorem suum quaedam uocat. Huius ICTi uitam nobis dedit, uti supra commemoramus, ad uitam uimus, Ill. Heineccius. Sed nollem omisisset uir summus quae Saluii Iu- dam potiora capita ad Iuliani historiam pertinentia. Quod Iuliani.*

ABVRNVS VALENS (o) et TVSCIANSVS, (p) qui laboribus, uigiliis, scriptisque suis perutilem atque fructuosam operam reipublicae adtulerunt.

## §. X.

igitur Cel. *Heineccii*, quem incredibili amore uenerationeque prosequimur, pace fiat, pauca, quasi *ως ἐν παραπομπῇ*, annotabimus ad *Iuliani* uitam, et purpurae eius lacinias nostras affluemus. Primo optatem, ut quum *Saluios* ueteres p. 5. sua commemoratione non indignos iudicauerit, *Iulianos* ceteros, et a Icto nostro diuersos, simul recensisset, et ad quem rescripta illa Imperatorum, quae ad *Iulianos* emiserunt, pertinerent, exposuisset, illosque a se intucem probe distinxisset. Habuisset Antecessorem U. A. *Cornelium uan Bynckershoeck* Opusc. T. II. p. 309. ed. Hall. Et opportune nobis, quum haec scribimus, in manus uenerunt elegantissimae *Maiansii* epistolae, in quibus et quidem L. III. Ep. XXV. quae ad illustrissimum *Schombergium*, praecipuum nobilitatis Misnicae decus, perscripta est, Inscriptio-nes omnes, quotquot Sagunti hodie superfunt, cum literatissimo *Schombergio* communicat. Inter alias p. m. 145. et *Iuliani* una meminit, quam integram heic apposuisse iuuabit.

P. BAEBIO. L' F'

G. A. L' MAXIMO

IULIANO AED. FLAM'

POPILIA AVITA

EX TESTAMENTO

C. POPILII CVPITI

PATRIS'

Deinde illustris uir p. 10. Cl. *Conradum* ex l. 59. fol. matr. probasse scribit *Antonino Pio* iam mortuo, adhuc inter uiuos fuisse *Iulianum*. Sed clarius id probare l. 17. de iure patron. in qua Diui fratres cum amicum suum uocauerunt. Uerum enim uero parum proderunt ingeniosissimo *Heinescio Conradinae* suppetiae. Dabimus enim, ut iusto simus liberaliores, sanam, integram et incorruptam esse hanc legem, (quamuis sagaciores facile heic *Triboniani* manum agnoscunt, uerbaque *Carus idem* non a *Iuliano* sed sciolo *Triboniano* addita esse uel exinde coniciunt, propterea quod in plerisque praestantioris notae editionibus uel plane absunt, uel asterisco signata sunt) tamen non

## §. X.

Reliquo tempore, quod ipsi uacuum erat ab insti- Respondet  
consulenti-  
tibus.  
tuenda iuuentute, magistratibus ciuibusque consulenti-  
bus

de T. Caio, qui Antonini temporibus nominis celebritatem con-  
sequutus est, intelligenda est, sed de C. Cassio Longino, Massurii  
Sabini discipulo. Obseruauit enim iam ante nos Marquardus  
Freherus *παράσητος* L. II. C. XV. numquam, nisi semel, recessisse  
a Sabini sententia Cassium, eundemque Sabino plerumque iungi.  
Vt igitur non mirum sit, Cassium in nostra, de qua disceptamus,  
lege, iungi Sabino, in cuius uerba tantum non iurauerat, eadem-  
que tamquam coelestia oracula uenerabatur. Neque l. 17. de  
iure patronatus, quam in suas partes uocauit uir summus, adeo  
clara est, ut non de certioribus subsidiis nobis laborandum sit.  
Quemadmodum igitur nostra fert opinio, sub primis Diuorum  
fratrum imperii annis Iulianus naturae reddidit debitum. Pro-  
bat nostram sententiam Caius l. 68. §. 3. de leg. I. ubi inquit,  
*ita Iulianus quoque sensit.* l. 31. §. 1. de stat. lib. Iulianus dixit.  
l. 5. §. 5. de Obl. et Act. Iuliano placuit. l. 28. pr. de stipul. seru.  
Iulianus scripsit. qua formula certe non utuntur Icti, quoties de  
iuris loquuntur. Nunc extra omnem dubitationis aleam posi-  
tum est, et a Gerardo Noodtio de foen. et usuris L. III. C. VII.  
abunde probatum, plerosque libros sub Diuorum fratrum im-  
perio scripsisse Caium. Ergo, quum de Iuliano tamquam mortuo  
loquatur Caius, consequitur, non ita multo post imperium susce-  
ptum Diuorum fratrum animam efflauisse Iulianum. Postea gra-  
tum fuisse uiris doctis limatissimum audire iudicium Ill. Heinec-  
cii, cur in Indice Florentino primum locum occupet Iulianus. Ni-  
hil enim certi desinit Lauront. Theodorus Gronouius in Historia  
Pandect. p. m. 70. ed. Hallens. quando ita scribit. In hoc In-  
dice occurrit primus Iurisconsultus Iulianus, non quod Senior sit,  
uel auctor plurimum legum: sed uel quod doctiora scripserit, aut  
pluris habitus fuerit tamquam conditor Edicti perpetui. cetera.  
Denique uellem, ut copiosius aliquanto, ac fecit, Ill. Heineccius,  
retulisset bene dicta Iuliani. Certe humanum et benignum Iu-  
liani responsum est, quo, referente Pomponio in l. 19. de Sct. Mac.  
scribit. Exceptionem Sct. Maced. nulli obflare, nisi qui sciret,  
aut scire potuisset, filium familias esse eum, qui credebatur. Plura in

C

bus de iure respondit, publica munitus auctoritate, propterea quod tyrocinia aetatis eius in *Domitiani* incidebant tempora, quibus non aliter de iure respondebant ICTi, nisi quibus princeps huius rei ueniam fecerat. (q) Non poterat non fieri, quin omnes in deliciis haberent tam exquisitae ICTum doctrinae, incorruptumque iustitiae antistitem, ad domum eius, tamquam commune ciuitatis oraculum, confugerent, et summis praecipuisque honoribus illum destinarent.

## §. XI.

*Honores  
Iauoleni.*

De uigintiuiratu, quaestura, tribunatu, aedilitate altum apud ueteres scriptores silentium est. Praetorem fuisse, et proconsulem ex praetura in Africam et Syriam uenisse non dubitare nos sinit IULIANVS, (r) IAUOLENI

praesentiarum non addimus, hasque nostras obseruatiunculas humanissimi *Heineccii* censurae lubentes uolentesque submittimus.

- (o) l. 2. de orig. iur. §. vlt. Amplissimum inter consiliarios *D. Antonini Pii* locum obtinuit *Aburnus*. uide *Lampridium in uita Pii*. C. XII. Diuersus omnino uidetur a *Fabio Ualente*, ad quem l. 4. ep. 24. literas dedit *Plinius*, secus ac uidetur *Bertrando* de uit. Ict. L. I. C. XII. Conf. *Gul. Grotium* de uit. Ict. L. II. C. III. §. 13. et III. *Corn. uan Bynckershoeck* Opusc. T. II. p. 70. ubi et uerum nomen *Aburnus* ipsi postliminio quasi restituit.
- (p) l. 2. de orig. iur. §. vlt. Huic ICTo paene aeternum ex ICTorum republica exilium indixerunt uiri docti. Nonnulli nomen eius mirifice distorserunt, eundemque mox in *Tusciuum Fulcianum*, mox in *Maecianum*, mox in *Tusciuum*, mox in *Uinianum* et nescio denique, in quod commutarunt. Sed *Tusciui* nomen ipsi strenue asserit *Bynckershoeckius* l. c.
- (q) *Pomponius* l. 2. de orig. iur. §. 47. sub *Tiberio* enim successoribusque eius petenda erat de iure respondendi facultas, donec *Adrianus*, Imperator, omnibus, qui studiorum fiduciam habebant, nullis imperatoris codicillis impetratis, de iure respondere permetteret.
- (r) l. 5. de manum. uindicta. uide quae adnotarunt *Bertrandus* in

LENI discipulus. Non solum enim consulares, sed etiam praetorii, aliquando uero praetorii cum iure consulari et XII. fascibus in prouinciam mittebantur, quos proconsules uocabant. Scilicet proconsules, si MANVTIVM (s) audimus, dicebantur non tantum ii, qui gesto consulatu ibant in prouinciam, sed et ii, qui ex Praetura in prouinciam proficiscebantur; id quod praeterea exempla OCTAUII, (t) Q. CICERONIS, Q. METELLI CELERIS, GELLII, (u) et PLINII, (x) factis abunde confirmant. Hoc magistratu quum laudabiliter probeque defunctus esset, in principum (y) senatusque

C 2

uitis ICTorum L. I. c. 9. §. 2. et *Grotius* in uitis ICTorum L. II. c. 2. §. 13. qui uero oppido egregie fallitur, quando ex uerbis *Plinii* ad *Priscum* quemdam L. II. ep. 5. *Regis exercitum amplissimum, hinc tibi beneficiorum larga materia*, sententiam suam confirmat. Illa epistola enim non ad *Priscum Iauolenum*, sed *Priscum Neratium* scripta est, quem tam mirifico amore *Adrianus* prosequabatur, ut ipsi, si quid fatale ipsi contingeret, prouincias commendaret.

(s) in Commentar. in Cic. Ep. Fam. L. I. Ep. 2.

(t) *Sueton.* c. 3. Hic Octavius fuit Augusti Imperatoris parens, qui, etsi consularis non erat, prouinciam tamen rexit pro consule. Ideoque scriptum in lapide de eo PR. PRO. COS. uide animaduersiones *Casauboni* ad alleg. caput *Suetonii* p. m. 125.

(u) Confer *Paulum Manutium* Antiq. L. I. de legibus Romanis apud *Clausingium* in iure publico Romanorum Fasc. II. p. 71. sqq.

(x) Confirmat nos in opinione nostra inscriptio Mediolani in aede *S. Ambrosii* inuenta apud *Gruterum* p. CCCCLIV.

C. PLINIVS C. F. C. N. CAECILIVS SECVNDVS COS. AVGV R LEGAT. PRO PRAET. PROVIC. PONTI CONSVLARI POTESTATE IN EAM PROVICIAM AB IMP. CAESARE NERVA TRAIANO AVG. GERMANICO MISSVS CVRAT. ALVEI TIBERIS ET RIPAR. PRAEF. AERARI SATVRNI PRAEF. AERARI MILIT. QVAEST. IMP. SEUIR EQUITVM --- TRIB. MILIT. LEG. III. GALLICAE --- X. VIR STLTIB. IVDICANDIS.

(y) Amicos et comites in consilio habere solebant, si quando iu-

tusque consilio adhibitus de obscurissimis implicatissimisque iuris quaestionibus sententiam libere, candide atque ingenue dixit. (z)

## §. XII.

*Fabula  
Plinii de  
dubia eius  
sanitate  
profiga-  
tur.*

Extremo uitae tempore, quum ad senium paulatim uergeret aetas, in infaustum *turbati cerebri*, (a) et *dubiae sanitatis* (b) hominum numerum censumque relatus fuit. Sed profecto illepide atque improbe. Lubrico et ancipiti vnus PLINII testimonio nititur tam impia et iniuria accusatio. Quapropter magnopere uehementerque miror ad vnum omnes fere uiros doctos (c) fidem habuisse vni et maledico testi, et tam anilem, commentitiam putidamque fabulam inseruisse libris suis. Vera nunc esse credo, quae olim legeram apud FLACIVM: (d) *Vsatum est in historiis, ut quum vnus aliquis initio a uero aberrauerit, tunc et omnes sequentes coecum ducem coeci, et ipsi, id est, negligentes ueritatis inquisitores eum teme-*

dicarent, Imperatores. Aliquando etiam ICTOS adhibuerunt. Nam et Iurisconsulti saepe inter illos amicos et comites Augustorum fuere. uide *Claudii Salmasii* notas in Hist. Aug. Script. p. 47.

(z) *Plinius* L. VI. Ep. XV. ubi inquit: *adhibetur consiliis.*

(a) Hoc elogium *Iauoleno* tribuit *Franciscus Hottomannus* in *Anti Triboniano* suo C. XII.

(b) *Plinius* c. 1.

(c) *Cel. Heineccio* in *Hist. Iuris* L. I. §. CCXL. p. m. 238. suspecta aliquanto uisa est *Plinii* fides. Inquit enim uir summus: *Extrema aetate illum dubiae sanitatis fuisse scribit Plin. Ep. VI. 15. quamuis Iauoleno, ut uidetur, paulo iniquior.* Sed timide et dubitanter haec dicta sunt. Et profecto nemo quisquam cordatior nobis hanc gloriam auferre poterit, quin primi fuerimus, qui fraudem astutiamque *Plinianam* deteximus, argumentisque, nisi nos coepti negotii amor fallit, certissimis scenam hanc instruximus.

(d) in *diff. de Primatu Papae* p. 36.

re sequantur. Plane, enim, ueluti grues, sese mutuo historici ducunt, et sequantur. Videamus igitur, an uera sit PLINII accusatio? Hanc ut eo feliciter depellamus a IAUOLENO nostro, in PLINII ingenium moresque paullo accuratius, ac factum est ab aliis, inquiramus, necesse erit. Magni facio PLINIVM ob praeclaras rarasque animi dotes, quas iure concelebrant in eo scriptores. Uerum hoc ego palam profiteor, maximas suas uirtutes maxumis conspurcasse uitii. Bone Deus! quam immoderate de se ipso sentit? quam effusus est in laudibus de se ipso enarrantis? (e) quam seruili adulatione et immani liberalitate prosequitur illos, qui elogia ipsi plus iusto admetiuntur? Hos enim solos aestimat, hos magnificat, hos colit, hos beneficiis ornat, hos ueneratione admirationeque dignos censet, qui fortia facta illius enarrant, qui laudibus immeritis eundem extollunt, et qui nominis immortalitatem scriptis suis ipsi pollicebantur. (f)

C 3

Neque

(e) En exempla quaedam. L. I. ep. 5. §. 12. "Est mihi cum Cicerone,, aemulatio, nec sum contentus eloquentia saeculi nostri. L. I., ep. 13. §. 6. Neque enim quisquam est fere, qui studia, ut non,, simul et nos amet., L. IV. ep. 1. §. 5. ubi commemorat templum Tifernatibus extruxisse sua pecunia. L. IX. ep. 23. in qua multa superbe arroganterque de se ipso pronunciat, fateturque "se et Tacitum principatum in studiis obtinere. L. IX. ep. 39., Videor ergo munifice simul religioseque facturus, si adem,, quam pulcherrimam extruxero, addidero porticus.,

(f) Ipse, tamquam forex, se prodit PLINIUS. Uin specimina? dabo. L. III. ep. 11. Iulio Genitori renunciat, se Artemidoro, Philosopho, ob immanem Domitiani saeuitiam urbe pulso, pecuniam, quam illi locupletiores negauerant, ipsum mutuatum, gratias dedisse. Quæris, qua causa inductus hoc fecerit Plinius? Respondeat ipse: "Est omnino Artemidori nostri tam benigna,, natura, ut officia amicorum in maius extollat: inde etiam meum,,

Neque illos ferre poterat homo perditæ ambitiosus, qui gratia apud optumates et populum ualebant. Uerebatur enim, ut cum maxime, detrahi ipsius famæ, quod alienæ gloriæ laudique adiceretur. Nunc satis, uti opinamur, demonstrauius, in magna nominis celebritate Romæ uixisse IAUOLENUM, præcipua et honorificentissima munera gessisse, et ab omnibus, imo, quod mireris, a Proculeianis, (g) infensissimis alioquin Sabinianorum hostibus, fuisse de iure interrogatum. Hoc pupigit PLINIVM intolerabilis ambitionis reum. Ut igitur nisi penitus infringeret, certe minueret IAUOLENI dignitatem, hanc fabulam excogitasse uidetur. Nulla igitur pulcrior, nulla optatior occasio sese offerebat PLINIO

„meritum, ut uera, ita supra meritum prædicatione circumfert. Deinde scribit: „*Artemidorum* prædicare ideo eximiam gloriam „meruisse ipsum. „ Tandem ita loquitur. „Est quidem iucundum, „quod me cum apud alios, tum apud te tantis laudibus cumulet. „ L. III. ep. 21. laudat *Martialem* uita functum, additque uiatico dimississe eundem. Sed cur laudat tantopere *Martialem Plinius*? Recitabo ipsius uerba: „Dederam hoc amicitiae, dederam etiam „uerfuculis, quos de me composuit, „ confer et §. 6. citatae epistolæ. L. IV. ep. 27. non aliam ob rem, *Falconi Augurini* poemata, tam inuidendis elogiis prosequitur, quam, quia in illis PLINIVM laudibus euerat. Quid aliud cognoscimus ex L. VI. ep. 11? Testatur id porro L. IX. ep. 20. qua sic *Uenatorum* alloquitur: „Tua uero epistola tanto mihi iucundior fuit, „quanto longior erat, præsertim quum de libellis meis tota loqueretur. „ L. IX. ep. 21. eapropter *Sardo* gratias agit, quia honorificam eius mentionem in libro suo fecerat.

(g) l. II. de hæred. instit. l. 28. de auct. iud. poss. ubi in priori lege *Iauolens Proculi* sententiæ his uerbis subscribit. UERA EST PROCULI OPINIO. in altera lege is, qui *Iauolenum* interrogat, ait: *Me illud maxime mouet, quod præceptoribus tuis h. e. Sabinianis, placet, unum esse testamentum.*



NIO, nefarium hocce exequendi consilium, quam conuentus, ad quem amicos, et inter illos, PRISCVM IAUOLENVN inuitauerat PAVLVVS PASSIENVS, eques Romanus, vt elegos ipsis recitaret. Is, inquit PLINIVS, (h) quum recitaret, ita coepit dicere. PRISCE *iubes?* Ad hoc IAUOLENVS PRISCVS: *Ego uero non iubeo. Cogita, qui risus hominum, qui ioci. Est omnino PRISCVS dubiae sanitatis.* Sed, proh Deum hominumque fidem! quid infani latet in hoc dicto? Aderat IAUOLENVS, uir grauis et seuerus, vt adolescentuli iuuenilem aestum, faceta hac et arguta formula, reprimeret, admoneretque eum, multum adhuc requiri studii, laboris diligentiaeque, priusquam tantum audaciae sibi sumeret, vt in tam frequenti doctissimorum hominum concione frigidus ineptosque elegos recitaret, illosque a salutari reipublicae cura importune auocaret. Non poterat aliter IAUOLENVS, PAVLO, vt ait PLINIVS, *amicissimus*, quam vt eumdem, callida et uersuta arte, quum priuata monita nihil proficerent, ad meliora sanioraque consilia in posterum capiunda hortaretur. Indicare simul uoluit IAUOLENVS, non esse ita in publica commoda peccandum ab adolescentulis, vt uiros publicorum onere munerum fessos ad pueriles suas delicias pertraherent. Praeprimis, si alienis plumis saltem! sese exornarent, neque de suo ingenio aliquid proferrent, quod laude admirationeque dignum sit. Nouerat IAUOLENVS, iam MARTIALEM perstrinxisse inauditam PAVLI audaciam, qui carmina, quae ab aliis immo dico pretio redemerat, ruptis uerecundiae repagulis, pro suis

(h) L. VI. ep. 15.

fuis recitauerat. (\*\*\*) Sapiens profecto, incomparabile-  
que facinus! Iam olim, si recte diuinauit Ill. HEINEC-  
CIVS, (i) immoderatam et inanem PAVLI arrogantiam  
lepide atque acute reprehenderat IVUENALIS, (k) im-  
mitis ille et acerbus uitiorum infectator. Sed irascitur  
PLINIUS. Uin tantae irae causam? Non ignorare te  
eamdem finit ipse PLINIUS. Singulari in amore ha-  
bebat PAVLVM, erga quem praeconcepta mirificae in  
poesi doctrinae opinione ferebatur. Hinc illae lacru-  
mae. Qui enim municeps PROPERTII, qui inter ma-  
iores numerat PROPERTIVM, is magnus atque excel-  
lens PLINIO poeta est. (l) Quasi a maioribus arcessen-  
da gloria, nec a se ipso propriaque uirtute petenda es-  
set. Certe vnum hoc mendacium non leuem *Pliniana*  
famae maculam inurit. Ipse etiam nugator sibi contradicit,  
quando in epistola sua pergit: *interest tamen officii, adhibe-  
tur consiliis, atque etiam ius ciuile publice responder.* Ama-  
bo! quis eum consiliis adhibebit? quis expetet responsa  
eius? qui pristinum animi uigorem amisit, qui in EPI-  
CVRI intermundia aliquamdiu secessit, et irreparabilem  
mentis iacturam fecit. Nugae! Fabulae! Gerrae plus-  
quam Siculae!

## §. XIII.

(\*\*\*) Lepide perstringit *Pauli Passeni* insaniam *Martialis* L. II, Ep. 20.

Carmina *Paulus* emit, recitat sua carmina *Paulus*.

Nam quod emas, possis dicere iure tuum.

(i) in uita *Sahuii Iuliani* p. 16.

(k) Sat. I. u. 2. sqq. et Sat. III. u. 8.

(l) L. VI. Ep. 15. Est enim municeps *Propertii*, atque etiam inter  
maiores suos *Propertium* numerat. Confer et L. IX. Ep. XXII.  
vbi ingenium et mores et genus *Pauli Passeni* describit, ipsum-  
que immeritis plane laudibus afficit.

## §. XIII.

Quando diem obierit supremum, res parum expedita *Mors Iauolenti.*  
 est. Plerique vsque ad ANTONINI PII tempora uitam  
 produxiffe IAUOLENVM arbitrantur. (m) Decepit eos  
 CAPITOLINVS, qui scribit: (n) *Multa de iure sanxit* (AN-  
 TONINVS) *vsusque est iuris peritis* UINDIO UERO,  
 SALUIO VALENTE, UOLVSIO MAETIANO,  
 VLPIO MARCELLO, et IAUOLENO. Uerum  
 enim uero in mendo uerfatur locus ille, in quo *Diabole-*  
*nus* se inuenisse nobis persuadere cupit SALMASIVS. (o)  
 Ipsa historia repugnat huic lectioni, ut nihil impediat,  
 quo minus pro IAUOLENO substituamus IULIANO,  
 quem ANTONINI PII tempora non solum attigisse, ue-  
 rum etiam illi mortuo superstitem fuisse, supra obserua-  
 uimus. (p) Nostra sic fert opinio. IAUOLENVM  
 vltimis TRAIANI temporibus fatis concessisse. (q) Tres  
 rationes mouent me, ut sic confidenter decernam. Pri-  
 mo profecto non omisisset recensere IAUOLENVM in-  
 ter consiliarios ADRIANI SPARTIANVS, si ADRIA-  
 NO

(m) Sic pronunciant *Bertrandus* in uitis ICtor. L. II. C. IX. §. 1.  
*Rutilius* in uitis ICt. C. LVII. §. 1. *Eberlinus* de Orig. Iur.  
 C. XLVII. §. 1. p. m. 381. *Panzirollus* de claris legum interpr.  
 L. I. C. 32. p. m. 42. ed. Lips. 1721. quam Illustri *Hoffmanno*  
 acceptam referimus. *Rupertus* Ad Enchiridion *Pomponii* L. III.  
 C. XIII. Sect. IV. p. m. 457. *Grauius* de origine iuris ciuilib.  
 p. m. 68. ed. Lips. d. a. 1717. *Uuiclingius* ad *Labitti* Indicem  
 ICtorum Alphabet. p. LXXIX.

(n) in uit. *Antonini Pii* C. XII.

(o) in notis ad scriptores Histor. Augustae p. 72. (p) p. 17.

(q) In eadem fere sententia nobiscum est *Gerardus Noodt* de *Foenore*  
 et *Vfur.* L. III. C. VI. quando scribit: *Iauolenti postrema*  
*pars uidetur incidisse in imperium Traiani, quo tempore eum de-*  
*tirare coepisse Plinius scribit.* Quapropter *Heineccianae* senten-

D

NO imperante adhuc in uiuis fuisset, sed adiunxisset clarissimis Triumuiris, IULIO CELSO, SALUIO IULIANO et NERATIO PRISCO, quos in consilio habuisse ADRIANVM, idem scriptor (r) refert. Deinde causam nullam uideo, cur ADRIANVS, sagacissimus princeps, IAUOLENO non edictum perpetuum componendum commisisset, si ipsius temporibus adhuc in mortalium coetu fuisset Noster. Denique CAIVS, qui ADRIANI et ANTONINI PII temporibus inprimis floruit, quum adducit nostrum, IAUOLENVS, inquit, (s) *negauit*, quam formulam non vsurpare solent ICTI, quando uiuum spirantemque appellant.

## §. XIII.

*Ingenium  
et mores  
Iauoleni.*

Ingenium nactus erat IAUOLENVS acerrimum literarumque capacissimum, iudicio vtebatur sublimi atque exquisito, singulari et admirabili memoriae felicitate omnes sui aequales longe antecellebat. Moribus, praeterea, erat placidissimis sanctissimisque. Iustitiam pie inuiolateque coluit, et cuncta cordati incorruptique iustitiae sacerdotis munia egregie expleuit, ita tamen, vt non omnes iuris apices sectaretur, sed, quoties occasio postulabat, aequitatem, (t) non fucatam, non fallacem,

non

tiae calculum adicere non possumus, qui in Hist. Iuris L. I. §. CCXL. p. m. 237. *Iauolenum Adriani* tempora attigisse contendit. Multo minus *Andreae Strubelii* crassum errorem probamus, qui in Indiculo Historico Chronologico Lexico Fabro-Cellariano praemisso *Iauolenum* tertii saeculi Scriptoribus annumerat. (r) in vit. *Adriani* c. 18. (s) l. 46. de rit. nupt.

(t) Aequitatis studiosissimum fuisse *Iauolenum*, monumenta eius satis superque ostendunt. Prouoco ad l. 25. de donat. l. 4. de diu. temp. praeser. l. 71. de furt. l. 21. de iniur. l. 200. de R. I.

non cerebrinam illam, sed naturalem, sed genuinam, sed ueram subtili, duro et immiti iuri laudabiliter praeferret. Ceterum ius suum cuique aequa lance tribuit, neque adulatione, blanditiis, assentationibusque se unquam capi passus est, ut indignum aliquod facinus perpetraret, et contra animi sui sententiam responderet. Ipsa fisci iura, quae mirum in modum augere solent ICTi, non tam conscientiae suae, quam oculis suis inseruientes, non tam cara ipsi fuerunt, ut impium et iniquum lucrum ipsi addiceret; sed potius creditorum causam contra rapaces Fisci manus fortiter atque generose defendendam suscepit. Digna IAUOLENI uerba sunt, quae huc transcribamus: (u) *Non possunt ulla bona ad fiscum pertinere, nisi quae creditoribus superfutura sunt, id enim bonorum cuiusque esse intelligitur, quod aeri alieno superest.* Quam praeclara aureaque dicta sunt, quibus religiosissimus ICTus scripta sua, tamquam pretiosissimis gemmis, distinguit? Seligamus ex innumeris bina, eademque lectoribus nostris recitemus. *Beneficium*, inquit Noster, (x) *Imperatoris, quod a diuina scilicet eius indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus.* Et alio loco in haec uerba erumpit IAUOLENVS: (y) *Bona fides exigat, ut quod conuenit, fiat.* Quae si accuratius lego, nae ICTi, sed rigidissimi seuerissimique Philosophi placita mihi legisse uidear! Adeo tam pulcra, docta, sapientiaque sunt IAUOLENI omnia, ut non cum ueteribus ICTis eum comparem, sed eorum omnium principem iudicem. Atque quum raro reperiatur magnum aliquod

D 2

(u) l. II. de iure fisci.

(x) l. 3. de constit. princ.

(y) l. 21. Loc. Cond.

ingenium, cui non aliquid dementiae admixtum sit; id mirandum omnino in IAUOLENO est, quod summas clarissimasque uirtutes suas nullo capitali uitio obscurauerit, extinxeritque. Hoc fatendum est, quod negari nequit, bis irae laxasse frenum, et horribili carmine: *Et sane absurdum est.* (z) *Quod absurdum et minime iuri ciuili conueniens est,* (a) in alterius sententiae inuectum fuisse patronos.

## §. XV.

His illustribus uirtutibus consequutus est IAUOLENVS, vt certatim exquisitissimis laudibus eum profequantur ICi, uerba eius tamquam coelestia oracula uenerentur, (b) et a sententia eius numquam fere diuertium faciant. (c) Atque, quod omnium elogia superat, et ingentem gloriam Nostro conciliat, ipse IUSTINIANVS Imperator, in grauissima causa sententiam eius tamquam optumam sapientissimamque amplectitur, ipsique omnimodam legis uim potestatemque tribuit. (d) Quid?

*Sententiam Iauoleni ad unum omnes fere ICi tuentur.*

(z) l. 36. de bon. libert.

(a) l. 23. de Vsurp. et Vfic.

(b) *Iauoleni* sententiam probant *Julianus* l. 5. de manum. uind. *Valens* l. 15. de ann. leg. et fideic. *Caius* l. 236. §. 1. de U. S. *Paulus* l. 20. §. 1. de interrog. in iure faciend. l. 8. de Aur. Arg. Mund. leg. *Ulpianus* l. 2. §. 17. de haered. uel act. uend. l. 6. de lib. et post. l. 19. de haered. inst.

(c) *Vnus Caius*, et quidem semel, et in causa leuissimi momenti in l. 46. de ritu nupt. a *Iauoleni* opinione discedit.

(d) Erat inter ueteres legum auctores controuersia, quando pubertas inciperet in masculis, vt liberi immunesque deinceps essent a tutela. *Cassiani* eum puberem esse dicebant, qui habitu corporis pubes apparebat, id est, qui generare poterat. *Proculeiani* eum, qui quatuordecim annos expleuerat. *Priscus* uero *Iauolenus* eum puberem esse affirmauerat, in quem uirtutum

Quid? quod in tanta ceterorum, quibus PRISCI nomen inditum est, celebritate, solus est IAUOLENVS, quem legum auctores PRISCI, quasi vfitato solennique, nomine appellant. (e)

## §. XVI.

Supereft, vt de scriptis IAUOLENI, quibus immortalem nominis gloriam sibi peperit, paucis adhuc praecipiamus. In Indice Florentino fequentes libri reperiuntur:

I. Ex CASSIO βιβλίου δεκοπτεντε. Ex CASSIO libri *Scripta lauleni, quae in Indice Florentino commemorantur.*  
 XV. quos, vti placet GODOFREDO MASCOUIO, U. C. (f) modestiae causa ita inscripsisse uideatur, significans, non ideo hos libros, a se scriptos, vt sectae suae, cum ceteris, principem reprehenderet, sed vt suppleret, et illustraret, quae is literis prodiderat. CAIL itaque sententiam in his libris recitat, eamdemque fere semper assensione sua comprobatur. (g) Eius proinde sententiam, vt  
 D 3 iterum

que concurrebat, et habitus corporis et numerus annorum. *Iauoleni* sententiam ceteris praefert *Iustinianus* pr. Inst. quib. mod. tutel. fin. conf. et *Ottone* ad hunc locum, et *Vlpiani* fragmenta Tit. XI. de tutel. et *Schultingium* in notis in *Iurisprudencia Anteiustiniana* p. m. 604.

- (e) Sic sub *Prisci* nomine citatur ab *Vlpiano* in l. 10. §. 2. de Vfu et hab. a *Pomponio* in l. 112. §. 3. de condition. et demonstrat. a *Iuliano* in l. 21. de mort. caus. donat. a *Paulo* in l. 1. §. 21. de adquir. uel amitt. poss. et in l. 2. §. 6. pro emtore. Fauent sententiae nostrae Duumviri Selectissimi *Edmundus Merillius* L. III. Uar. ex *Cuiacio* C. XXXVI. p. 362. opp. T. II. ed. Neapol. et *Bynckersboeckius* in *Observat. Iur. Rom.* L. III. C. XXIV. p. 323.
- (f) de Sectis Sabinianor. et Proculian. in iure ciuili p. m. 50.
- (g) In eadem nobiscum sententia est *Christianus Otto a Boeckelen* in *Diff. de diuersis famil. ueter. Ict. C. III.* in *Opusc.* p. m. 30. et III. *Christianus Godofredus Hofmannus* in *Histor. Iuris P. I.*

iterum in partes nostras uocemus MASCOUIVM, (h) ampliat, (i) mitigat, (k) regulaeque consuetudinem subiicit. (l) Aliquando tamen in aliam opinionem discedit, CASSIIque sui partes deserit. (m) CASSIVS uero ille, cuius sententias memoriae prodidit IAUOLENVS, fuit C. CASSIVS LONGINVS, a quo Castianorum nomen descendit, et quem in tantis deliciis habuit IAUOLENVS, ut sub CAII nomine saepe in scriptis suis honorificam eius mentionem faciat. Monemus id ea propter, ne imperiti inde occasionem fumant committendi, ac si TITVM CAIVM, qui ADRIANI et ANTONINI PII temporibus libros suos edidit, (n) intelligeret Noster, eundemque cum C. CASSIO LONGINO temere imprudenterque confundant. Ipsae legum inscriptiones iuuant coniecturam nostram. Non enim ex TITI CAII, sed C. CASSII LONGINI libris depromptae sunt. (o) ANGELVS POLITIANVS, uir

cete-

p. 148. *Strenuus, inquit, Cassii propugnator fuit, eiusque sententias et scripta saepius allegauit.*

(h) c. l.

(i) in l. 21. §. 2. de adqu. uel amitt. poss.

(k) in l. 36. §. 2. Mandat.

(l) in l. 28. de statu liberis.

(m) in l. 54. de cond. et dem.

(n) Hoc docte atque praeclare probatum dedit *Noodtius* de foenore et usur. L. III. C. VII. Opp. T. I. p. 213. ed. Col. Neque poterat intelligere *T. Caium Iauolenus*, quum ille nihil quicquam scriptorum suorum *Tratani* temporibus, sub cuius ultimos imperii annos uita decessisse *Iauolenum* supra euicimus, ex manibus suis exire passus erat.

(o) l. 54. de cond. et dem. quae ex libr. II. ex *Cassio* desumpta est. In commentariis *Caii* scriptum est, et l. 73. de solut. quae libr. XI. ex *Cassio* natales suos debet. In libris *Caii* scriptum est,



ceteroquin doctus atque intelligens, suaues nugae agit, et pro libris XV. legit V. Sed mendacii arguunt eundem per plurimae legum inscriptiones, quae sexti, septimi, octau- ui, noni, decimi, vndecimi, duodecimi, decimi tertii, deci- mi quarti et decimi quinti meminerunt, quas consueta industria in indice collegit LABITTVS. Ad eundem CASSIVM notas scripsisse uidetur TITVS ARISTO, quemadmodum nonnullae leges non obscure id indicant. (p) An uero ante ARISTONEM suos in CASSIVM com- mentarios composuerit IAUOLENVS? in quam sen- tentiam respondet GREGORIUS MAIANSIUS, (q) Hispanorum nostro saeculo doctissimus, in tantis uete- ris memoriae tenebris ego adfirmare non audeo. Ce- terum exemplo IAUOLENI animaduersiones suas in CVIACIVM Variantia ex CVIACIO inscripsit ED- MVNDVS MERILLIUS.

Secundum locum in indice Florentino occupant *Epi- stolon βιβλια δεκατεσσαρα*, in quibus plerumque illum ordi- nem tenet, ut primo quaestionem proponat, et deinde statim illi responsum suam, solemnem formula, RE- SPONDIT, subiungat, imitatus LABEONEM, (r) et PROCVLVM, qui ante ipsum octo epistolarum libros scripserat, et in illis responsa sua collegerat; quae libri inscriptio postea adeo placuit NERATIO PRISCO (s)

et

- (p) l. 17. §. 3. de Usufructu, in qua *Vlpianus: Cassius quoque scribit. Et Aristo notat.* et l. 17. §. 2. de Usufr. Et *Aristo apud Cassium notat.*
- (q) Ep. L. IV. Ep. XI. p. m. 193.
- (r) Epistolarum *Labeonis* fragmentum reperitur in l. 30. §. 1. de usurp. et vsuc.
- (s) Citatur *Neratii Prisci* L. IV. epistolarum in l. 12. §. 35. et §. 43. de instr. vel instr. legato.

CAECILIO AFRICANO, (t) et POMPONIO, (\*)  
 vt illam responſorum ſuorum collectioni praeponerent.

III. Succedunt ad PLAVTIVM βιβλια πεντε ſive ex  
 PLAVTIO libri quinque, in quibus fragmentis PLAV-  
 TII ſententiam et uerba fere integra refert, raro diſce-  
 dit ab ipſo, et praeter vnicam legem 34. de ſtipul. ſeruoꝝ.  
 in qua iudicium ſuum interponit, uix reperies aliquid,  
 quod de ſuo addidit IAUOLENVS. Celebris fuit  
 PLAVTIVS, et UESPASIANI temporibus nominis fa-  
 mam conſequutus eſt. Tanti eum fecerunt ICTI, vt  
 praeter IAUOLENVM, POMPONIVS L.VII. et PAV-  
 LVS L.XVIII. ad eundem ſcripſerint. Quid? quod  
 NERATIVS PRISCVS, VLPIANO (u) teſte, libros  
 aliquos ad PLAVTIVM composuit.

## §. XVII.

*Libri Iauoleni, qui  
 in Indice Florenti-  
 no omiſſi  
 ſunt.*

Atque hi, quos iam commemorauimus, in indice  
 Florentino reperiuntur. Duo tamen adhuc ſuperſunt  
 in Pandectis IAUOLENI opera. Epitome ex libris  
 poſterioribus V. LABEONIS, et Fragmenta IAUOLE-  
 NI ex libris poſterioribus LABEONIS, quos a ſe inui-  
 cem probe diſtinguendos eſſe, grauitè docet EDMVN-  
 DVS MERILLIVS. (x) Audiamus ipſius uerba: *Alii  
 ſunt libri poſteriorum LABEONIS a IAUOLENO epitoma-  
 ti; atque alii libri IAUOLENI ex poſterioribus LA-  
 BEONIS, quamquam idem eſt numerus librorum in indice  
 Florentino. Quum multa LABEO ſcripſiſſet in libris po-  
 ſterio-*

(t) *Caecilius Africanus* uiginti epistoꝝarum libros reliquiſſe uidetur.  
 Ita enim *Vlpianus* in l. 39. de leg. 1. eius librum XX. epistoꝝa-  
 rum allegat. (\*) *Pomponius* uiginti epistoꝝarum libros ſcripſit,  
 quemadmodum id l. 67. ſol. matrim. et l. 61. de Admin. et Peric.  
 Tutor. non obſcure indicant. (u) in l. 5. de ſeru. praed. vrb.

(x) Obſeruat. L. V. c. 38. p. 190. T. I. Opp. ed. Neapol.

steriorum ad linguam latinam enarrandam illustrandam-  
que conducentia, vt refert GELLIVS l. 13. c. 10. IAUO-  
LENVS forte in libris epitomatis selegerat, quae potissi-  
mum ad ius civile pertinebant, alia reciderat, vt PAVLVS  
in libris Digestorum ALPHENI. In his nihil fere IA-  
UOLENVS de suo retulit. At in libris ex posterioribus  
LABEONIS IAUOLENVS multa de suo adiecit, proba-  
ta uel reiecta quandoque LABEONIS sententia. In his  
et illis sunt diuersae quaestiones. Uel, si Cl. MASCO-  
UIVM (y) sequimur. In Fragmentis ex Posterioribus  
LABEONIS modo LABEONIS sententiam solam siflit,  
modo cum aliorum, puta SERUII, CASCELLII, TRE-  
BATII, OFILII, TVBERONIS, qua recentiorum in-  
primis PROCVLI placitis comparat et contendit. In epi-  
tome sententiam LABEONIS subinde acerbe refellit, in-  
terdum ampliat, et strictae ueteris iuris regulae exceptionem,  
suique temporis usum addere solet. Neque est, cur mire-  
mur, LABEONIS partes saepe deseruisse IAUOLE-  
NVM, quum obseruante PETRO PERRENONIO, (z)  
plerique ueterum Ictorum a LABEONIS sententia  
recedunt. Erat enim LABEO nimia ingenii sui fiducia  
turgidus, atque ad dissentendi studium iusto procliuior,  
vt res claras, perspicuas, et apertas quoque in dubium uo-  
caret. Indicare id nobis uoluit IAUOLENVS in l. 25.  
qui test. fac. poss. vbi, quum primo SERUII sententiam  
explicasset, postea LABEONIS limitationem adfert, et  
tandem hoc addito epiphonemate finit: Ego nec SER-  
E UIVM

(y) c. l. p. 50. et 51.

(z) Animaduers. et Uariar. Lektion. Libro I. C. XXI. apud Otto-  
nem in Thefauro Iuris Romani T. I. p. 618.

UIVM *puto aliud sensisse.* Accedebat, quod miris et a forensi vsu plane alienis opinionibus delectaretur LABEO. Iure illum eapropter reprehendit Noster, quando in haec uerba prorumpit: (a) LABEONIS et OFILII *sententia rationem quidem habet, sed alio iure utimur.*

*Peroratio.* **S**ED quorsum haec? inquires, Consultissime **MENCKENI**, quorsum? *ut scias*, (liceat PLINIANI sceleris vltori uindicique PLINIANIS uerbis uti.) (b) *non posse IAUOLENVUM me incolumi iniuriam accipere.* Diu multumque indignissimis contumeliis adfecerunt ICTum praestantissimum iuris Romani Scriptores, et uel plane nihil de eo literis consignarunt, uel pauca et proletaria in medium adtulerunt, uel solum barbarum et infame PLINII carmen recitarunt, et anilibus hisce ineptiis sibi mirifice placuerunt. Nunc meliori redditus fortunae, curis, uigiliis lucubrationibusque nostris, sub **TVIS**, Amplissime **MENCKENI**, auspiciis in publicum prodire cupit, seque in **TVAM** tutelam curamque magnopere atque uehementer commendat. Non quidem tam magnifico ornatu, quemadmodum PAPINIANVS, incedit **IAUOLENVS** meus.

(a) l. 39. §. pen. de statu liberis.

(b) Vsurpat ea uerba de *Atilio Crescente*, *Plinius* L. VI. ep. 8. §. 4.

meus. Sed quum illius plastes non uitarum scriptoris, sed confarcinatoris (c) elogium anxia et meticulosa sua diligentia retulerit, nolui hac me macula aspergere, sed uestigia sequutus sum doctissimorum hominum, Ill. HEINECCII inprimis, quem nostra aetas PAPIANIVM suum iure meritoque uocat. Multum non multa scribere soleo. Aspernatur pannosam, et si splendidam, uestem IAUOLENVS, amat humilem, communem, et quae uirum grauem sapientemque decet. Quapropter non dubito, fore, quin IAUOLENVM meum, cuius salutem fortunamque TIBI curae cordique esse nuper coram ostendisti, hoc uestitu indutum beneuole excipias, Eruditissime MENCHENI, illiusque patrocinium in TE lubens uolensque suscipias. Non excurram in laudes TVAS. Noui enim, quam modeste uerecundeque de TE sentis in tanta rerum praeclarissimarum a TE gestarum copia. Uerendum mihi alioquin esset, ut uerissimarum TVARVM laudum praeconio TIBI, uiro modestissimo, molestus sim, et importunis meis laudationibus TIBI stomachum moueam. Satis ego habeo, publica hac alloquutione TIBI declarasse  
 incre-

(c) Notat hac censura *Ottonem Franc. Dionysius Camusatus* in epistola ad *Maiansum*, quae est inter epistolas *Maiansii* L. V. ep. IV. p. m. 250.

incredibilem illum, quo TE complector, amorem, et summam, qua raras exquisitasque TVAS ingenii animique dotes profsequor, uenerationem. DEO immortalis pie atque religiose supplico, vt consilia TVA prosperet atque fortunet, uitam tranquillam placidamque TIBI concedat, quod triste, quod infaustum, quod illaetabile est, longissime a TE auerruncet, TEque cum **LANGGVTHIA** TVA, *femina castissimis sanctissimisque moribus, et insigni Lipsiensium feminarum ornamento*, perplures annos ex uoto omnium, qui TIBI bene precantur, transigere iubeat. Vale,  
**MENCKENI** Amicissime, et hominis  
 TVI amantissimi memor uiue.




X2368298

Kl. 536









B.I.G.

Farbkarte #13

49

9

GOTTLÖB AVGVSTI IENICHEN  
PHIL. ET VTRIVSQVE IVRIS DOCTORIS  
DE  
PRISCO IAUOLENO  
ICTO INCOMPARABILI  
ET  
PRAECIPVO SAECVLI SVI ORNAMENTO  
DISSERTATIO



LIPSIÆ  
APVD IO. CHRISTIANVM LANGENHEMIVM.  
CIO MDC XXXIIII.

